

vantes, aeternum Sanctumque illud Iesu Christi Regnum in fidelibus, in familiis ac in universa Societate instaurare, et instauratum, tueri valebimus!

**514.** — Haec omnia de catholica actiore generaliter dicta habeantur, quibus et quaedam, in peculiari Pastorum utilitate, ab ipsis servanda adiungi debent, quae ita, paucis, perstringimus:

a) In primis et ante omnia hucusque recensita adeo exemplari ratione ad proxim deducant Pastores, ut omnibus exemplo, nemini vero impedimento et, eo minus, scandalo sint. Si, enim, in his ipsi deficerent, coeteras omnes industrias ad nihilum redigerent, immo et in maioris discordiae caussam eas adducerent.

b) Ecclesiasticae ac pastoralis sua conditionis memores Pastores sint, cui et in catholica promovenda actione peccantes, gravissimi sibi periculi, magni vero fidelibus detrimenti erunt. Quapropter:

I. Generatim, quum ad hoc actio catholica constituatur ac foveatur, ut per materialia media ad spiritualia facilius assequenda fideles perveniant, illud *quam maxime devitandum ne dum eorum temporalia insequuntur, spiritualia sacri ministerii negligantur*. Christi, enim sacerdos, super coeteros homines constitutus, ut divinam suam missionem expleat, super humanas omnes contentiones ac diversorum societatis classes esse debet. *Proprius illius campus Ecclesia est, in qua, legatione pro Deo fungens, veritatem praedicat simulque Dei iura et hominum revereri docet.* Ita quidem agens, nullae contrarietati obnoxius est, fatiosus homo, huius amicus inimicus coeteris non reputatur, nec, dum cavit ne quorundam desideria labefactet, neve in plurimis exacerbatos irritet animos, dissimulandae aut reticendae veritatis periculum incurrit, utrisque in adjunctis, suo officio minor factus: *quin dicamus, cum saepe saepius materialia negotia quum agantur, in nocivis obligationibus quae suam personam ac ministerii dignitatem dedecent solidarrietatem contrahere posse.* Huius generis, igitur, Consociationibus, nisi post maturam rerum considerationem, nisi de Episcopi sui consensu, nisi in hiis in quibus illius suppetiae non modo a quovis periculo immunes, sed evidenti utilitati sunt, nomen suum ne det<sup>1</sup>.

II. Peculiariter vero quae a Pastore in re praestanda devitandaque sint, tum pontificia nuper adlata verba, tum peculiares sua

<sup>1</sup> SS. D. N. Pius PP. X, Encycl. *Il fermo proposito* cit. Cfr. Epist. Segretar. Stat. ad Episcop. Ital. 28 luglio 1904.

pastorales, personales, ac paroeciae conditions, nec non Ordinarii iusiones dicent. Attamen ut, in quantum licet,

1. actionis socialis Consociationes, inferius recolendae, in sua ditione habeantur, ac de genuina eorum indole, iuxta Ecclesiae mentem, fideles instruantur, in eis observantiae sedulo advigiletur, ac in omnibus, in hoc quoque, Ordinarii iussionibus consiliisque Pastores studeant, omnino pernecessarium semper est.

2. An vero haec omnia per se, directe, an per probos laicos praestare Pastores debeant gravis admodum quaestio est, quae, potius quam ex doctrina, ex locorum ac personarum adjunctis dirimenda videtur. Si in re nostram promere sententiam licet, hoc postremum, ut plurimum [quo, tutiori ratione, pastoralis ministerii libertati consultitur] praeferendum ducimus<sup>2</sup>. Quidquid sit semper Pastores adeo se habeant ut nulli partium studio inservientes, suae paroeciae fidelibus omnibus auxilium praebere, nullis inimici vel adversarii videantur, ac, saltem a longe, quae horum Consociationum eorumque sociorum agendi ratio sit invigilant, ut in recto itinere utrosque continere valeant.

3. Tandem ne quae Pastores devitare intendunt, eorum Coadiutores admittant, sedulo ipsi curabunt; cuncta, enim, quae ab his patruntur, in Pastore a plebe refundi pro certo ipsi teneant. Quod eo magis servandum quum iuvenes, inexperti ac immodico accensi zelo [ut plurimum] hi sint, tum sacerdotale ministerium, tum catholicam ipsam actionem, tum semetipsos [ulla absque voluntate] non tantum labefactare, sed, immo, et funditus perire possint. Catholic, enim, actio [qua tanta tantique momenti tanguntur] tam practicis complurimisque obiicitur difficultatibus, ut nisi, eximia caritate, maxima prudentia ac convenienti scientia geratur, tum apostolicum ministerium, tum sacerdotes ipsos, complurimorum versutorum ac potentium adversariorum miserrima praeda fiant. — Si, insuper, in re tribunicios mores sacerdos adhibeat, quum ut ab ecclesiastica auctoritate non emendetur fieri non possit, his admonitionibus et actionis ipsius difficultatibus exarcerbatus, si genuinam haud polleat pietate, una cum talari tunica, et ipsam fidem proiciet: quod haud semel tantum contigisse in comperto omnibus est. Quapropter, sacerdotes omnes, cum de christiana popularique actione agunt, propriae condicionis memores, semper digne uti ecclesiasticum spiritum conservantes, a quo eius vis dependet, se habebunt<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Cfr. Gods, *Scopuli vitandi in pertractanda quaestione de conditione opificum*, 1895, pag. 165.

<sup>2</sup> *Instruct. S. C. Negot. Extraord.* 27 jan. 1902 ad IX — Cfr. Leo XIII, encycl. *Depuis le jour*, 8 sept. 1899.

**515.** — Concretam, tandem, socialis seu popularis catholicae actionis praxim in illa a SS. D. N. Pio PP. X pro Italia,<sup>1</sup> paucis abhinc annis constituta, et coeteris Gentibus, speciminis ergo, exhibemus, quae hoc reddit:

*A)* Unio Popularis cui catholicorum principiorum propagatio, moralis fidelium institutio, ac religiosa defensio commissa est. Quapropter: bonae typographicae artis diffusionem, quidquid ad scholasticas res et quae ipsas comitantur pertinet, Consociationes de cultura, bibliothecae, dies ac hebdomadae [uti aiunt] sociales<sup>2</sup>, Congressus, Universitates populares, Cathechismi opera, publicae moralitatis protectio, antipornographicæ ac antialcoolica propagatio, emigrantium protectio, ecclesiasticarum personarum et rerum iuridica defensio, caritatis ac fidei catholicae multiples manifestationes, petitiones, meetings, et similia, Unioni Populari pertinere debent<sup>3</sup>.

*B)* Unio Oeconomicæ cui [uti aiunt] sociales ac justae oeconomiae revendicationes et progressus [quibus aequilibrium societati imponeatur] demandantur, et pressius:

*a) Uniones profesionales*, nempe:

I) Industriarum ac operariorum, ubi de diversarum classium bonis tuendis meliorandisque agitur, et cui operistitium, seu publica ac simultanea operariorum a laborum cessatio [*sciopero, grève*] moderandum quoque spectat, de quo postremo infra.

II) Agricultorum, quibus quae de operariis omnibus diximus, eadem ipsis praestantur.

III) Inferiorum Status ac Municipii Officialium, de quibus iam ac pro recensitis dicendum.

*b) Cooperationis Opera*, nempe:

I) Productionis, ut industriae, commercii et terrae, contractus cooperativi, laborum et similia.

II) Consummationis, ut alimentares, venditionis et agriculturales cooperativæ.

III) Pecuniae, nimirum, mensae argentariae [*banche*], creditus ac operariorum capsae rurales, parvum creditum, et similia.

<sup>1</sup> Encycl. *Il fermo proposito*, cit. — Cfr. comment. Vidal, *Le mouvement religieux en Italie* [Revue du clergé français, 1 jun. 1911]; id. *Les œuvres d'action catholique en Italie* [ib. 1 jan. 1912]; *Statuto dell' U. P. fra i cattolici d'Italia*;

Toniolo, *L'Unione Popolare*, Firenze 1908: Epist. collect. 17 mart. 1912.

<sup>2</sup> Epist. Segret. Status, ad Archiepisc. Florent. 25 sept. 1909.

<sup>3</sup> Cfr. Eiusd. epist. ad Joseph. Toniolo, 27 dec. 1908.

*c)* Mutualitatis, adsistentiae et praevidentiae opera, in labore, in infirmitatibus, in senectute et ita porro, mutuum adjumentum sociis praestantes.

*C)* Unio Electoralis, cui civica sociorum ac coeterorum institutio quoad civiles ac politicas electiones attinet, et, in quantum licet, ac per ipsam politicae res tueruntur.

*D)* Hisce pro hominibus praesertim constitutis Consociationibus, et aliae binae, alterius ordinis, adduntur, nempe:

*a) Pro iuventute*, eius complures *Adsoiations* ac, uti aiunt, *Circuli*, quibus adeo catholicae actioni ipsa cooptatur ac in ea instituitur, ut eius, ad instar, seminaria habendae sint;

*b) Pro femineo sexu*, *Catholicarum mulierum Consociatio* constituta est, qua [certo quodam modo] opera quae *Popularis Unio* hominibus praestare debet, feminis impenduntur.

Quum vero haec omnia persequi nostrum non sit [de complurimis enim, opportunius jam diximus] haec recoluisse sit satis. Sed, ad aliquam Pastoribus practicam afferendam utilitatem, peculiaria quaedam nostrorum praesertim temporum necessitatibus magis accommodata, sequenti in paragrapho, indigitabimus.

### § III — De quibusdam *Socialis*, seu *Popularis Actionis* temporibus nostris magis accommodatis necessitatibus ac contingentis.

**SUMMAE RERUM.** — 516. De catholicarum puellarum protectione, et ad hoc duplice differentiae Consociationibus. — 517. De generalis emigrantium cura, et ad rem nuperimum Apostolicae Sedi documentum. — 518. De alteri ordinis emigrantium boni Pastoris sollicitudine, nempe: *a) generalis in re norma*; *b) de civitatis potentibus puellis*, et ad rem peculiares ac pastorales normae; *c) de pueris in collegiis, seu convictibus*; *d) de militibus*. — 519. De immigrantibus. — 520. De ecclesiasticis personis ac rebus iuridica defensione, ubi recentissimum *fori* decretum recolitur. — 521. De operistitio [*sciopero, grève, strike*]. — 522. Quomodo hoc in adjuncto se habere Pastor possit debeatque. — 523. De capsis ruralibus ac mensis argentariis, ubi nuperimum SS. D. N. Pii PP. X documentum affertur. — 524. De tum municipalibus, tum politicis electionibus, et quae in re servanda cavendaque sint. — 525. De publicis opificiis, et pastorales ad rem normae. — 526. De catholico feminismo eiusque genuina indole.

**516.** — Ad facilius in praxim deducenda quae praecedenti in paragrapho praestituimus, quaedam peculiaria *Actionis Socialis* argumenta, ad pastoralis regimen pressius attinentia, in quibus nonnulla proprie animadvertenda sunt, breviter agemus, quos inter primum pe-

cularemque locum obtinet publicae moralitatis custodia [Unio Popularis] quo in negocio, post jam menorata<sup>1</sup> quaedam Opera, nostrorum temporum necessitatibus apprime respondentia, pressius, Bono Pastori commendanda velimus; nimirum:

a) Feminei sexus iuventutis protectio [Protezione della Giovane, Protection de la Jeune Fille, Mädchenschutzverein<sup>2</sup>], qua gravissimis, quibus, praesertim in itinere ac in civitatibus proprio marti relictae puellae subiacent periculis subvenitur, et de cuius usu, de emigratione agentes, mox dicemus.

b) Puellarum domus, seu hospitia, in quibus, moderatisim expensis, tum victus, tum diversorum ipsis praestatur, et [sub certis determinatis disciplinae regulis] eorum morali cura providetur. Hae duplicis sunt differentiae, nimirum:

I) Quae ad interim tantum puellis labore parentibus [germanic. Mariaheim] donec occupationem sortiantur consulunt, et quae, ut plurimum, ab Associatione pro puellis protegendi [de qua diximus] dependent.

II) Quae continuo ipsis impendunt operam, nimirum, et postquam occupationem invenerint, victim, hospitium ac sedulas curas, permodicis impensis, iuvenibus puellis praestant, ex quibus, speciminis ergo, illud Foyer de la Jeune Fille memoramus.

Et de harum domorum usu, opportunius, sequenti in numero dicemus.

**517.** — Emigrantum cura maiorem dicendi segetem praebet, in qua, in primis et ante omnia, nuperrima S. Sedis praecepta ac consilia<sup>3</sup> memoranda veniunt, ex quibus, quae ad Parochum pressius spectant quamvis pro italicis regionibus lata, attamen et alibi prodesse possunt, elegimus:

I) Ut ad dioecesanum emigrationis comitatum vel paroeciali sub-comitatum emigrantum postulata et vicissim Parochus transmittat, eius cura sit.

II) Solleitior quam fieri poterit, de his qui e sua paroecia emigraturi sunt oportunas sibi comparabit notitias, eorum nimirum numerum, professionem, qualitates, praestitum sibi iter eiusque metu dignoscebbit; quae omnia vel dioecesano emigrantum comitatu, vel proprio sub-comitatu trasmittet, ut cunctas quae ad rem faciunt notitias ac dilucidationes, in tempore, profecturis exhibere valeat.

III) Has notas emigrantibus communicabit Parochus, et sincera adhortatione, qua ne emigrantum Operam negligant, quo gravibus obiicerentur periculis, eos admonebit.

<sup>1</sup> Cfr. pag. 532 et seq.

<sup>2</sup> Cfr. SS. D. N. Pii PP. X epist. ad H. Odelin, 8 april. 1904, et indulg. ab Eod. huic Consoc. concessas, 19 jun. 1911.

<sup>3</sup> Epistol. Secret. Status 8 sept. 1911 — Cfr. Leo XIH, per Secret. Stat. ad Ital. Episcop. 19 jun. 1900: deliberat. Episcop. Longobardor., 1896, 1905, 1910.

IV) Ante quam a paroecia emigraturi discedant, sui zeli ac paternae sollicitudinis postremam ipsis Pastor impendet operam. Quapropter eos ad se advocabit, in bonum confirmabit, adversus insidias praemuniet, eorum conscientiae tranquillitati providebit. Praesertim vero, in peculiari solemni ac devota functione Fortium Panem, una simul, ipsis distribuet.

V) Postquam discesserint suo esse functus officio ne putet Pastor, et quamvis dilectae familie ac Patriae, immo et Boni Pastoris, memoriam altas in emigrantium animis radices figerit, attamen si proprii Parochi benefica ac admonitrix viva vox et in alienigenorum terra haud accesserit, novae vitae difficultates conditionesque horum omnium recordationem penitus delere facilime contingit. Quapropter ut, meliori qua fieri potest ratione, emigrantium vitam ac rationem dignoscere Parochus valeat et, si licet, in eorum auxilium Comitatus operam sciscitur, commercium epistolare suis cum filiis ipse instituat necesse est.

VI) Cum hi ad patios ac domesticos redeant lares, illud in primis a Parochio curandum, nempe ut quae a paroeciae discessu spiritualia in ipsis noxa haberi possunt, diligenter reparare satagat. Insuper si ex eorum narratione quasdam practicas notitias, quae ad emigrantium Opera meliorem reddere conducant, dignoscat, ut ad Comitatum referat suadendum est.

VI) Ut, si sub Ordinarii directione ac vigilantia omnes ac singuli Parochi haec recolita omnia, quibus si apte utantur, in filiorum suorum bonum ac spiritualem salutem profecto cedent, sedulo zelent, meliorem spem Apostolica Sedis fovent<sup>1</sup>.

**518.** — Haec de genuinis emigrantibus [de his, nempe, qui ab una in alia Natione proficiscuntur] peculiari ratione dicta habeantur; nam quoad coeteros qui improprie sic compellari possunt, hi, scilicet, qui de proprio pago in civitates commeant, peculiaria quaedam memoranda veniunt quae ita, paucis, perstringimus:

a) Nisi peculiaris necessitas, vel evidens utilitas poscant, generaliter, cunctis ac semper, hae emigrationes dissuadendae videntur. Quae, enim, non animae ac corpori fidelium tantum, sed et societati universae ex hac immodica a pagis in civitates emigratione, gravia detimenta diminant [de quibus sociologi amplissime dicunt] in comperto sunt. Sed humana inconstantia, nova semper inhians, ac effrenata et saepe coeca ditescendi libido, adeo Parentum corda indurant, ac plurimorum inanis spes fallit, ut aliquid ab utrisque in re assequi haud facile profecto sit.

b) Haec omnia de pueris ac, praesertim, puellis intelligenda veniunt, quibus, nisi peculiaria Divinae gratiae auxilia accendant, ac solertissimae vigilantissimaeque adhibeantur industriae, saepe nimis, nil nisi infamia, una cum miseria, comparantur. Quid, enim, a puellis iuventute praestantibus, sed et experientia parentibus, quae ab agrorum cultu ac domestica simplicitate divulsis, uno ictu, proprio marti re-

<sup>1</sup> Epist. Segret. Stat. ad Ital. Episcop. 8 sept. 1911 — Cfr. document. XLIII ad vol. catc.

lictis, in civitatum turbine immissis [ubi, una cum effrenati luxus seductione, et innumeri versutissimi innocentiae abundant praedones] expectandum sit, quotidiana ac numquam satis lugenda historia amplissime docet. Quapropter ut, dum licet, his suis ovibus Pastor consulat omnino decet, qui:

I. — gravissima civitatum recolendo pericula, familiae honorem decusque suadendo, ac buccellam panis in domestica simplicitate, abundantiae cum conscientiae cruciatu praferendam semper esse suadendo, ne dilectas filias suas in civitate abire sinant, et eo minus iubeant, Parentibus inculcat.

II. — Quum vero peculiares caussae ad hoc suadeant, ne, in quantum circumstantiae sinunt, priusquam de alibi obeundo munere certae sint, a familia ac a pago discedant, Pastor consulat; ne eum sibi comparandi facilitate illusae, otio indulgentes ac peculum dissipantes, eorum honestas in magno adducatur discrimine. Quum vero aliter fieri non potest, si peculiaris amica familia, cui puella a Parentibus ad tempus committatur desit, ut ad illas pro pueris adiuvandis domos de quibus nuperrime diximus [*Protezione della Giovane, Protection de la Jeune Fille, Mädcheschutzverein*] proficiscentes adeant consulebit Pastor. — Ne vero *collocationis officii* [agenzie, bureau de placement] ubi, saepe nimis, ignobilis de inexpertis pueris quaestus agitur, non nimis se fidant, et ut tales occupationes ipsae eligant ut eorum boni mores in tuto sint, nunquam satis suadebit Pastor bonus, Antequam vero hae discedant, prudenter quidem, ac in quantum circumstantiae sinunt, et veraciter, potiusquam de periculis, de industriis ad illa devitanda eas monebit, vel a matre moneri iubebit.

III. — Praesertim dum iter agunt in civitate migraturis pueris sequentia Pastor suadeat:

1. In via ferrea, dum licet, cubiculum illum cuius *Dominae solae* inscriptio est, elegant.

2. Tum peculum, tum testimonia quae secum ferunt, nemini pandant.

3. Cum itineris sociis, praesertim si viri ac ignoti, nulla conversatio ineatur.

4. Itineris metam nemini pandant, neque eius viam ac recessus horam nullo modo nullaque ratione immutent.

5. Si quaedam sciscitanda veniunt, viae ferreae custodibus tantum postulentur.

6. Cum ab itenere modicum sistunt, a viae ferreae stationes ne discedant, sed, solitarie, in expectationis aula maneant.

7. Si quidquam in honeste pertentaverit quis, ad quodcumque viae ferreae stationes praesidem [qui peculiari ac iudicali in re auctoritate pollet<sup>1</sup>] ipso facto denuntient.

IV. Ut epistolare commercium cum Parentibus ipsae fovent quo, saltem scripto, apta consilia ab ipsis accipient, suadeat Parochus.

V. Ut interdum ad domesticos lares redeant, ubi, materno scrutante oculo, emendanda corrigantur ac in Sacramentorum proxim ipsae confirmantur, consulet Pastor bonus, qui de suarum ovium sollicitus, ut in pietate, modestia ac bonis moribus ipsae roborentur, nullas omittet industrias.

c) Pueros vero qui in convictibus vel collegiis missi sunt ne negligat Parochus, qui [ut diximus] ut in catholicis et, ut plurimum, ecclesiasticis vel religiosis personis comissis domibus collocentur, iam provisum habebit. Dum circumstantiae sinunt, quum civitatem adit eos inviset, ac cum Institutoribus sanctam ineundo conspirationem, ita se gerat ut dum notitias ipsis oportunas [ne dicam necessarias] prudenter praebet, et alias de alumnorum agendi ratione sibi comparet, quo, fortiter ac suaviter, per christiana observantiae itinera eos sustentare vallebit. — Quum vero, vacationis caussa, ad sua alumnus remeat, ut, servatis servandis ac par pari referendo, ita cum ipso Pastor se gerat ac cum clericis e seminario redeuntibus, suadendum est.

d) Cum his paroecianis qui, militiae caussa, castra adeunt Pastor ille qui quantis hi spiritualibus obiificantur periculis dignoscit ut dum transeunti inserviunt Patriae, aeternam ne amittant, ac ut minora saltem ipsi experiantur detrimenta, lapidem omne admovebit. Quapropter laudabile ille mos quo antequam neo-milites a propriis familiis discedant, in unum congregati, missam ac Pastoris adhortationem audiunt, dum licet, sua in paroecia invehere studebit Parochus. Tunc B. M. V. numisma omnibus donando, ut fortes in fide religionem colant, *catholica militum recreatoria* sedulo frequentent, et ut saltem ne alia perversorum socialistarum adeant, ac ut *Catholica pro militum Opera* utantur, suadebit<sup>2</sup>. Quum vero, relaxationis caussa, ad sua remeant, ut saltem tunc paschale adimpleant praeceptum Pastor curabit. Gravis sane ac ardua Pastoris in re cura est, cui tamen [ne deinde, in ideis ac moribus corruptos patresfamilias paroecia sortiatur] operam impendere adstringitur. Sed cum his amicali quasi ratione utendum est, ne sese iactando ac

<sup>1</sup> Ex Convent. internat. Genev. jul. 1905.

<sup>2</sup> Cfr. Deliberat. *Episcop. Longobard.*, 15 jun. 1899.

pastoralem auctoritatem spernendo, eius quoque salutares admonitiones parvifaciant.

**519.** — De emigrantibus id quod satis hucusque diximus, et de immigrantibus et ad proprios lares redeuntibus dicendum superest, cum quibus tam sedulo se habere Pastor debet, ut malum blasphemiae vitium, contumaciaeque semina in paroecia ne invehantur, vel saltem ne adaugeantur: haec, enim, omnia hoc veiculo inibi introire plurimum, quotidiana experientia docet. Hos, igitur, dignoscere studeat, et ut saltem indirecte, ad bonam ipsos se recipient frugem contendat: sed si vitiis implicatos eos viderit, nimiam emendationis spem Pastor ne foveat. Eorum, enim, laqueos, suis admonitionibus fortiores esse teneat, quo ad primos solvendos enixius impendet operam. Enimvero, quamvis hoc unum, nimirum, ut dilectam suam paroeciam meliorem effectam successori suo tradere possit sibi proponere Pastor debeat, attamen posteaquam quae ab eo Deus et Ecclesia exposunt, sedulo ac meliori qua fieri potest ratione curavit, caetera Deo committat qui, non laboris nostri exitus, sed iuxta nostram voluntatem ac industriam aeternum elargitur praemium, quod Pastoribus omnibus, ex toto corde, redundans ominamur.

**520.** — Catholicae, seu Popularis Actionis illud quoque proprium est, ut tum personas, tum res ecclesiasticas, procaces adversus calumniantes, ac versutissimos rapientes sedulo enixeque tueatur. Qua in re, nostris praesertim temporibus, in quibus qui, versutissimis ac iniquissimis artibus, utrasque pessimum dare contendant ubique iuveniuntur, nullae industriae uti superfluae haberri possunt. Perversi, enim, homines quum infandas eorum accusationes rapacesque industrias enixe refelli dognoscant, a complurimis audendis se abstinent, quae, secus, nullo negocio, misericiliter patrant. Eorum, enim, ignavia tanta est ut et minima pertimescant; nostra vero timiditas eorum fortitudo est; nos debiles quia timidi, illi fortes quia audacissimi. — Sed quum normas ad rem pro dioecesano clero statuere Episcopi tantum sit, qui, ut plurimum, *Cleri Secretariatum* illum constituit quem pro his et similibus sacerdotes omnes adire possunt, hoc unum Pastori recolendum, nimirum, ut illo utatur ac saltem, ut suspiciones ac diffidentiae illae quae, saepe nimis, hanc institutionem sauciant, dissipentur, vel saltem ne adaugeantur ipse satagat. Nostra, enim, spernere ut aliena admiremur, adeo in moribus est, ut illud recoluisse haud sit vanum. Ad rem vero nuperrimum SS. D. N. Pii PP. documentum extat quod [hiis in Gentibus pro quibus haud ex officio abrogatum est] prae oculis habeatur:

I. Quicumque privatorum, laici sacrive ordinis, mares feminae, personas quasvis ecclesiasticas, sive in criminali causa, sive in civili, nullo potestatis ecclesiasticae permisso,

ad tribunal laicorum vocent ibique adesse publice compellant, eos etiam omnes in excommunicationem latae sententiae, speciali modo Romano Pontifici reservatam, incurront<sup>1</sup>

**521.** — Violenta ab operum cessatio [*sciopero, grève, strike*] gravis sane quaestio est, ad quam catholice solvendam, fundamentalia morum principia, in primis et ante omnia, memoranda sunt, ne in tanti momenti re [temporibus tantummodo nostris inducta] quidquam minus exacti proferatur. Igitur:

I. Et inter catholicos operarios haec vindicatio, dum modo quasdam conditiones sortiatur, licita omnino est, neque socialistarum, arbitrio dimittenda: nostra, enim, sacrosancta jura inimicis Ecclesiae committere iniquum.

II. Conditiones vero sunt: a) ut iustae habeantur causae, quae, locorum ac commercii attentis circumstantiis, in dominorum insatiablem avertenda continentur; b) ut aequa postulentur; c) ut laboris libertas in consociis nullo modo impediatur, ac dominorum personae ac res nullo modo pessimum dentur; d) ut tranquillo rationabileque modo omnia agantur; e) ut expectetur temporis contractus expiratio, idque, postquam observatum fuerit de modo domino annuntiandi cessationem, deliberetur. Attamen ante hoc tempus operistitium facere iniustum non esset, si ex domini parte, contractus laedatur, neque ille monitus, ab offendenda iustitia minime desistat<sup>2</sup>.

III. An his catholicis operistitiis pecunia subvenire liceat, dum modo nuperrime adlatae conditiones habeantur, haud in dubio revocari potest; quod, de coetero, et a fere quotidianis plurimorum catholicorum, necnon quorundam Ordinariorum exemplis confirmatur. An vero expedit, ex peculiaribus huius casus circumstantiis dicendum est; et si in re nostram sententiam promere licet, *Parocho loci, publice* hoc praestare dissuadendum esse videtur: pastoralis ac localis, enim, eius condicio, plures quam in coeteris praecautiones postulat.

IV. An krumiri [uti aiunt] partem in his ac in omnibus similibus habere liceat, laboris libertate admissa [quae inviolata omnibus esto] certum est; an vero expedit controvertitur; semper vero rem plenam esse periculi in comperto extat.

V. Coeterum cuncta quae ad operistitium pertinent, ex theologiae morum principis de operariorum contractu decernentibus solvenda sunt<sup>3</sup>.

<sup>1</sup> Motu proprio, *Quantavis diligentia*, 9 oct. 1911.

<sup>2</sup> Cfr. Lehmkuhl, *Op. cit.*, vol I, n. 1349; *Arbeitsvertrag und Streik*, Freiburg 1904; Wermeesch, *De justitia*, n. 474;

Potier, *De iustitia*, dissert III, n. 176; Ojetti, *Op. cit.* ad verb. *Operarium*.

<sup>3</sup> Cfr. Leo XIII, Encycl. *De conditione opificum*, cit.